

Et quidem conclusio etiam procedit in simonia mentali; quia, cum juxta dicta n. præced. obligatio restituendi simoniace accepta procedat ex jure divino, non declinat illam qui quantumvis, occulte, simoniace, et injuste accipiendo, injuriam facit tertio. Confirmatur a pari de usura mentali, utpote quæ de jure naturæ, et in conscientia ante omnem judicis sententiam æque obligat ad restitutionem, ac manifesta, textu claro, c. *Consulat*, 9, de *Usuris*.

301. *Solvitur objectio.* — Dices, c. *Tua nos*, 34, et c. fin. h. t. expresse habetur, ob simoniam absque pacto externo commissam nullum subjacere juris pœnis, quod etiam nos diximus supra n. 234, ergo nec oneri restituendi. Resp. negando conseq. quia onus restituendi simoniace accepta temporalia non est pœna juris, sed obligatio et justitia e jure divino procedens, ob injuriam illatam tertio. Quæ obligatio etiam occultissima delicta afficit, hoc ipso, quod juris divini conditor, scrutator sit cordium, et cognitor secretorum, cit. c. *Tua nos*, h. t.

302. *Accipiens temporale pro temporalibus annexis spirituali non tenetur ad restitutionem.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « Quæ conferantur sine damno, aut incommodo temporali conferentis; » quia in casu, quo conferens sacramentalia, subit damnum temporale, privando se commo aliquo temporali, prout fit in rebus spirituali annexis, ut dum v. g. vendit sacrum calicem, oleum, etc., non tenetur ad restitutionem, si plus non exigit, quam res illa spirituali annexa valet, aut incommodum temporale, quod subit, efficit: imo in hoc nullam committit simoniam, per dicta supra n. 221.

§ XIII.

DE CAUSIS, ET TITULIS EXCUSANTIBUS A SIMONIA, VEL PœNIS, AC RESTITUTIONE SIMONIACE ACCEPTORUM.

303. *Tituli excusantes a simonia recensentur.* — Quæritur I. Quæ causæ, vel tituli excusent a simonia? Resp. Sequentes potissimum I. Si temporale pro spirituali aut e contra omnino gratis sine ullo explicito et implicito pacto datur, juxta dicta § 5, supra. II. Si post acceptum spirituale datur temporale, aut e contra, ex gratitudine ad satisfaciendum obligationi antidotali, per

dicta supra n. 117. III. Si ministris Ecclesiæ temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem pro administratione sacramentorum, pro Missis, et aliis functionibus spiritualibus, per dicta supra a n. 186. IV. Excusat ignorantia invincibilis juxta dicenda n. seq. V. Labor extrinsecus, per dicenda infra n. 305. VI. Redemptio vexationis injustæ, juxta dicenda a n. 308.

304. *Ignorantia invincibilis etiam excusat a simonia.* — Quæritur II. An, et qualis ignorantia excuset a peccato simoniæ? Resp. Ignorantia, quæ non est crassa vel supina, sed invincibilis excusat a peccato simoniæ. Communis et certa. Ratio est, quia ignorantia a quovis alio, ergo etiam a simonia peccato excusat. Quod autem a quovis alio peccato excuset, late probant theologi præcipue ex illo fundamento, quod ad peccatum requiratur consensus, ignorantis autem nullus est consensus, l. *Si per errorem*, 15, ff. de *Jurisdict. omnium judic.*

Dicitur autem notanter, invincibilis, quia vincibilis, crassa nempe supina, vel affectata ignorantia, uti a nullo alio, ita nec a peccato simoniæ excusat. Num autem quis revera habeat ignorantiam invincibilem, cujusvis conscientiæ relinquatur. Illi, quod sibi timeant, certe habent, qui de simonia nec audire, nec legere aliquid volunt nolentes intelligere, ut bene agant; vel qui legunt quidem, aut ab intelligentibus rem audiunt, tamen statim excutiunt, aut parum curando rident, et contemnunt; relegere etiam dicta ad propositum n. 294.

305. *Sicut et labor extrinsecus, non item intrinsecus.* — Quæritur III. An, et qualis labor excuset a simonia? Resp. Propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, et per accidens conjunctum, non item propter intrinsecum absque simonia acceptari et exigi potest temporale pro spirituali, consequenter labor extrinsecus (aliunde non debitus) non item intrinsecus ab illa excusat, Palao, de *Simonia*, pun. 11, n. 3; Gutierrez, *Canon. quest.* cap. XXIX, n. 25; Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 8, n. 45; Bonacina, de *Simonia*, disp. 1, q. 6, pun. 3, n. 2, cum Glossa communiter accepta in c. *Significatum*, de *Præbendis*. Pro intelligentia conclusionis notandum, cum communi doctorum illorum laborem esse, et dici extrinsecum functioni alicui spirituali, eique per accidens conjunctum, sine quo ministerium, seu functio hujusmodi spiri-

tualis in se bene fieri potest: sic v. g. celebrationi Missæ labor extrinsecus et per accidens conjunctus est itineratio per unam vel alteram horam a loco distantem; e contra vero pronuntiatio verborum, motus membrorum, in celebratione Missæ facta necessarius, est labor Missæ intrinsecus, eo quod sine illo, non item sine isto Missa celebrari valeat. Ratio conclusionis est, quia hoc ipso, quod labor primi generis ab extrinsecis, et per accidens tantum sit conjunctus functioni spirituali, non perdit per hujusmodi conjunctionem, æstimationem, et valorem suum, quem ex se tanquam quid temporale habet; consequenter pro illo, seu propter illum rei spirituali annexum, temporale quid absque ulla simonia exigi poterit. E contra vero, quia labor intrinsecus ab ipsa actione sacra non distinguitur, sed cum ipsa unum opus efficit, totusque sacer est, exigi pro illo aliquid spirituale absque simonia non poterit; verificaturque de illo id, quod dicitur can. *Si quis objecerit*, 7, cau. 1, q. 3, ibi: « Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. »

306. *Pro Missa et aliis ob laborem extrinsecum plus exigitur.* — Infertur cum communi doctorum a simonia excusari illos, qui plus, quam in tali loco dari solet, pro Missa exigunt ex eo, quod sua cum incommoditate debeant eam celebrare certo tempore, vel in loco distante, vel (uti Bonacina vult, et consuetudo approbat) alta voce. Idem est de aliis functionibus spiritualibus, si tali aut simili cum labore extrinsecis, incommoditate, lucro cessante, aut damno emergente fieri debent; dummodo, plus non exigatur, quam talis labor, incommoditas, aut damnum extrinsecum a parte rei juxta prudentem æstimationem valet; secus enim haud dubie simonia committeretur, cum excessus ille jam non pro temporali, sed pro spirituali exigeretur; uti bene advertunt cum communi aliorum citati doctores.

307. *Nisi talis labor aliunde iam debeatur.* — Dicitur autem notanter in conclusione labor extrinsecus aliunde non debitus. Nam si quis ad extrinsecum talem laborem, vel incommoditatem aliunde, v. g. ex officio, fundatione, contractu, etc., tenetur, ac pro tali labore, etc., spiritualibus conjuncto competens salarium, aut stipendium habet, pro illo nequaquam aliquid ulterius exigere valet absque peccato simoniæ; quia cum in

hujusmodi casu, talis careret omni justo titulo aliquid exigendi, pro ipsa re spirituali temporale exigere censeretur, prout bene advertunt doctores. Hinc parochus, vel capellanus vel nil, vel non plus, quam pia et laudabilis consuetudo habet, exigere potest pro itinere, et incommoditate, quam habet portando sanctissimum ad infirmum parochianum una vel duabus horis distantem; quia ad id ex officio tenetur, ob quod suos redditus et stipendium jam habet.

308. *Vexatio potest esse varia.* — Quæritur IV. An, et quando a simonia excuset redemptio vexationis? Ante responsum notandum, vexationem, aliam esse justam, et aliam esse injustam; item aliam esse, quæ fit ab illo, qui solum obesse, non vero de jure prodesse potest; rursus aliam esse, qua quis vexatur in jure ad rem uti est v. g. electus sed nondum confirmatus, præsentatus, sed collationem nondum consecutus, vel hanc siquidem sed investituram nondum habens; et aliam, qua quis vexatur in jure quod habet in re. Hoc notato.

309. *Non est simonia alicui cuicumque dare temporale, ne injuste te vexet in spirituali jam acquisito.* — Resp. I. Non est simonia, pretium temporale dare ad redimendam injustam vexam, quam quis patitur in jure spirituali jam plene quæsito, et quod habet in re, a quocunque tandem vexatio hæc proveniat. Navarrus, *Manual.* cap. xxiii, numer. 102; Abbas, in c. *Dilectus*, 28, h. t. num. 3; Palao, de *Simonia*, pun. 20, num. 1; D. Thomas, 2, 2, q. 100, art. 2 ad 5; Pirhing, h. t., num. 105, cum communi aliorum, arg. can. *Quæsitum*, 4, cau. 1, q. 3, et c. *Dilectus*, 28, h. t. ubi simoniæ non arguuntur, qui ad redimendam injustam vexam, quam passi erant in jure jam quæsito, temporalia dederunt. Ratio est, quia qui dat temporale ad redimendam injustam vexam, in jure spirituali, quod plene jam habet non dat illud pro jure spirituali, utpote quod jam habere supponitur, sed pro tollenda, vel impedienda injusta molestia et injuria, quod est quid temporale.

Infertur, illum immunem esse a simonia, qui dat, vel præstat temporale alicui, ne injuste vexet ipsum diffamando, accusando, et talia proponendo, ob quæ collatio beneficii, quod actu licite et valide jam possidet, de jure haberetur, nulla, vel eo privari posset, etc.

310. *Vel etiam acquirendo, si injuste vexat,*

qui solum nocere non autem prodesse potest de jure. — Resp. Non est simonia, pecunias, aut quid aliud temporale dare ad redimendam injustam vexam etiam in jure spirituali non tam plene quæsito, si vexat, seu molestat talis, qui vel penitus non, vel ad obtinendum beneficium de jure prodesse non potest, eligendo v. g. præsentando, conferendo, confirmando, etc., licet obesse valeat infamando, v. g. vel alia injusta obstacula aut impedimenta ponendo, ne rite electus confirmetur, aut ne præsentatus instituatur, etc. Suarez, *de Simonia*, cap. I, num. 23; Palao, *de Simonia*, § 2, num. 22; Ugolin. et communis aliorum. Ratio est, quia etiam in tali casu non datur temporale pro spirituali jure acquirendo, hoc ipso, quod injuste vexanti temporale non dem, ut mihi conferat spirituale, utpote qui ex supposito non potest, nec, ut pro illo acquirendo me commendat, ac preces interponat, sed præcise ut injusta impedimenta non ponat, aut injustam vexam non incipiat, vel inceptam continuare desinat, quod cuius licitum est; cum quis habeat jus quæsitum in libertate et fama sua, omnemque injuriam a se repellere valeat, per vulgaria.

311. *Ut si vexat te injuste diffamando.* — Infertur simoniam non committi in sequentibus. I. Casu, quo Sempronius de jure ad beneficium obtinendum prodesse nil valens, injuste vexat Mævium, infamando ipsum, vel denigrando apud eligentem, confirmantem, præsentantem, conferentem, etc., vel alias injuste agendo contra ipsum, ut vel non eligatur, vel electus confirmationem non obtineat, vel non præsentetur, vel præsentatus non instituatur, vel alias a beneficio acquirendo impediatur; simoniam (inquam) non esse, si Mævius pecunias offerat Sempronio, ut ab injusta vexatione desistat, aut eam non incipiat.

312. *Injuste detinendo.* — II. Pariter non committitur simonia, quando quis alicui dat pecuniam, ne ipsum injuste detineat, aut impediatur venire ad concursum, electorem, præsentatorem conferentem, etc., ibique pro beneficio acquirendo laborare.

313. *Aut importunis precibus alium minus dignum commendando.* — III. Non est simonia, si promittas, aut præstes alicui temporale, ne importunis precibus, aut muneribus animum eligentis, præsentantis, confirmantis, etc., a te avertat, illumque pro alio minus digno disponat, uti specialiter adver-

tunt Palao, loc. cit., nu. 5; Lessius, loc. cit., num. 109; Suarez, loc. cit., num. 25. Valentia cum communi aliorum contra Sotum. Ratio est, tum quia etsi talis non facit tibi injuriam contra justitiam commutativam, facit tamen tibi noxamentum contra charitatem, et male agit etiam contra justitiam saltem distributivam. Tum etiam, quia in tali casu non das pecuniam, ut illam accipiens tibi beneficium conferat, aut ad illud te promoveat, sed tantum ne te per suas preces, vel munera contra charitatem impediatur; ergo.

314. *Simoniacum est, dare temporale, ne talis qui de jure prodesse potest, injuste vexet, injuste negando votum v. g.* — Resp. III. Si talis, qui de jure prodesse potest, injuste vexat, v. g. injuste negando votum in electione, vel confirmatione, vel præsentatione, vel institutione, vel collatione, etc. Simoniacum est, promittere, dare, vel præstare temporale ad tollendam injustam illius vexam. D. Thomas, 2, 2, q. 100, art. 2 ad 5; Suarez, loc. cit., num. 18; Palao, *de Simonia*, num. 4; Pirhing, h. t., num. 109; Lessius, loc. cit. num. 106, cum communi aliorum, et aperte constat ex c. *Tuis.*, 33, h. t. ubi tam episcopus injuste negans confirmationem rite electo, quam illi, qui ad tollendam injustam episcopi vexam, pro obtinenda debita confirmatione pecuniam dederunt, simoniaci habentur. Idem etiam patet ex c. *Matthæus*, 23, eod. Ratio est, quia dum quis alicui dat temporale, ne votum, confirmationem, collationem, institutionem injuste deneget, hoc ipso temporale illi porrigit, ut spirituale hujusmodi sibi tribuat; eo quod etiam injusta negatio voti, confirmationis, etc., non tollatur nisi actuali datione illius; dare autem temporale, ut detur spirituale, aperta simonia est, per hæc dicta; ergo.

315. *Doctrina practica ad propositum.* — Infertur simoniam committere illam, sive sæcularem, sive regularem, qui sciens et timens, aliquem sibi adversarium vel inimicum, vel inique corruptum, aut corrupendum, temporale manus a lingua, a manu, vel obsequio eidem præstat, vel offert hoc pacto, vel etiam ex hoc motivo, ne injuste sibi votum deneget in futura electione ad episcopatum, decanatum, abbatiam, provincialatum, etc.

316. *Simoniacum est, dare alicui cuicumque tandem temporale, ne vexationem justam inci-*

piat, vel prosequatur, juste accusando v. g. vel defectum canonicum manifestando, etc. — Resp. IV. Certo committit simoniam, qui alicui cuicumque tandem sive de jure ad beneficium prodesse valenti, sive non, temporale dat vel præstat, ne vexationem justam incipiat, vel ut ab incepta desistat in beneficio, sive acquirendo, sive acquisito. Barbosa, *de Offic. et potest. episcop. allegat.*, 60, num. 55; Suarez, loc. cit., cap. I, num. 10 et 11; Abbas, in c. *Cum pridem*, 4, *de Pactis*, et ibi Glossa, §. *Non duximus*; Palao, *de Simonia*, punc. num. 2; Lessius, loc. cit., num. 107; Reginaldus, eoque teste omnes, arg. cit. c. *Cum pridem*, 4, *de Pactis*, et c. *Matthæus*, 22, h. t. Ratio est, quia, quando quis in beneficio acquirendo, vel acquisito, juste impugnatur, aut impugnari potest, jus vel nullum, vel saltem non firmum habet ad beneficium; consequenter si mediante temporali justam impugnationem, seu vexam avertit, viam per temporale ad spirituale sibi parat et mediante temporali jus ipsum, aut saltem firmitatem ejus procurat.

317. Infertur, simoniam committi I. Si duobus de beneficio aliquo litigantibus unus det alteri temporale, ut a lite desistat; prout etiam jam diximus lib. I, tit. XXXVI, *de Transact.*, num. 46, ubi tamen, n. 40 et seq. addidimus, interveniente auctoritate episcopi fieri posse transactionem.

318. II. Si alicui detur temporale, ne electionem, præsentationem, collationem, aut ipsum beneficium jam possessum impugnet, quod de jure bene impugnare potest, aut ut ab impugnatione justa desistat.

319. III. Si alicui datur, aut præstatur temporale, ne alterius defectum, vel impedimentum canonicum in ordine ad privandum alterum beneficium, aut impediendum ab eo revelet. (ADNOTATIO XI.)

320. *Causa et tituli, qui excusant a peccato seu culpa simoniæ, excusant etiam a pœnis.* — Queritur V. An, et quæ causæ excusant a pœnis simoniæ? Resp. Omnes causæ et tituli qui per dicta a n. 303, excusant ab ipsa simonia, seu quæ faciunt, quod quis dando temporale pro spirituali, aut e contra, culpam seu peccatum simoniæ non committat juxta dicta supra a n. 303, excusant etiam a pœnis contra simoniam statutis. Communis et certa. Ratio est, quia ubi nulla culpa, ibi nulla pœna, a g. l. *Si putator* 31, ff. *ad Legem Aquiliam*, l. *Sancimus*, 22. C. *de Pœnis*,

et c. *Sine culpa*, *de Reg. jur.*, in 6, ibi: Sine culpa, nisi causa subsit, non est puniendus, cum concordantiis. Nec est in hoc aliqua controversia. Et procedit conclusio etiam de ignorantia, ita, ut casu, quo hæc excusat a culpa, excuset, etiam a pœnis: si vero a culpa non excusat, nec a pœnis excuset, etsi hæc invincibiliter ignorentur, ut patebit ex sequenti conclusione. Nam

321. *Ignorantia pœnæ non excusat ab ea, qui peccatum simoniæ committit.* — Resp. II. Qui scit, vel dubitat (nam universaliter qui cum dubio practico antecedente operatur, eodem peccato se inquinat, quo scienter peccans juxta communem theologorum) se peccare, et simoniam committere dando rem temporalem pro spirituali, aut e contra non excusatur a pœnis simoniæ ab Ecclesia contra simoniacos statutis, etsi has invincibiliter ignoret, exceptis censuris. Sotus in 4, dist. 6, q. 8; Jul. Clarus, § fin., q. 85, §. *Secundus est casus*; Azorius, part. I, lib. I, cap. xv, q. 1 et 2; Covarruvias in c. *Alma Mater*, part. I, § 10, num. 9; Herinx, part. II, tract. X, disp. 5, q. 3, num. 28 et 29; Layman, lib. I, tract. IV, cap. xx, num. 6; Sanch. lib. IX, *de Matrim.*, disp. 32, n. 21; Molina, tract. X, disp. 71, num. 9; Suarez, Sotus, Corduba, Avila, Ledesma, et contra paucos quosdam communissima aliorum, universaliter docentium, quod ignorantia pœnarum a lege impositarum non excuset eum, qui legem culpabiliter transgreditur. Inter quos Azorius ait, rem esse certam; Covarruvias autem non dubitat dicere, contrarium esse errorem admodum manifestum, imo maximam ne dicam (ait ipse) pudendam oscitantiam, probatque dein ad longitudinem, et defendit suam opinionem. Ratio conclusionis est: tum quia ignorantia solius pœnæ non tollit causam pœnæ, id est, culpam; ergo nec effectum seu ipsam pœnam; tum quia qui scienter et culpabiliter transgreditur legem, jam hoc ipso reum se facit pœnæ delicto proportionatæ a lege jam impositæ, vel imponendæ, et jam saltem implicite scire, indeque etiam in eam consentire videtur, hoc ipso, quod cuius notorium sit, crimina et legis transgressiones justa, et proportinata pœna vel per legem jam imposita, vel per judicem imponenda puniri.

322. *Transgressores legis puniuntur etiam pœnis, quas ignorarunt.* — Confirmatur universali praxi omnium tribunalium ecclesias-

ficorum, et laicalium, qua constat, malefactores, et legum transgressores variis afflicti pœnis, rotæ v. g. patibuli, gladii, combustionis, exilii, etsi invincibiliter ignorarint, delicta a se committenda, et commissa pœnis hujusmodi subiacere. Quin imo ter optimus, ac justissimus iudex Deus variis pœnis æternis et temporalibus peccatores et legis suæ transgressores affligit, etsi peccantes ignorent, se ob peccata has pœnas in specie incurrere, quia sufficit, eos scire, quod legem transgrediendo culpam et peccatum committant, peccatum vero pœna proportionata justa puniri.

323. *Ignorantia censuræ excusat ab ea.* — Dicitur autem notanter, exceptis censuris: omnes enim fatentur, ignorantiam censuræ excusare ab ea incurrenda, etsi cæteroquin contra legem agendo gravissime quis peccet. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, hæc autem non adest, ubi ignorantia censuræ habetur, uti magis dicitur infra tit. XXIX, *de Sentent. excommunicat.*, ergo.

324. *Simoniace accepta temporalia tenentur quis restituere etsi accipiendo illa ignoravit, te peccare.* — Quæritur VI. An, et quæ causæ excusent a restitutione simoniace acceptorum? Resp. II. Quicumque simoniace accipit aliquid temporale pro, vel propter spirituale, præsertim beneficium ecclesiasticum, indeque ad restitutionem illius temporalis tenetur, juxta dicta a num. 289, nullatenus excusatur a restitutione hujusmodi rei temporalis licet accipiendo talem rem invincibiliter ignoraverit obligationem, et onus restituendi illam, imo etiamsi invincibiliter ignoraverit, se ita accipiendo peccare, indeque bona fide acceperit, et possidere inceperit; nisi jam adsit præscriptio. Hæc conclusio necessario sequitur ex dictis a num. 289. Quia, cum juxta ibidem dicta onus restituendi acceptum temporale pro spirituali, non tam sit pœna a jure humano proveniens, quam obligatio consurgens a jure divino, et naturali, vi cuius quis tenetur restituere rem alienam, palam est, eum, qui simoniace accipit temporale pro spirituali, tenere illud restituere, quamprimum, rescit illud tanquam rem alienam restitutioni esse obnoxiam; etiamsi prius illam accipiendo, id ignoraverit.

325. *Præsertim simoniace acceptum ob beneficium ecclesiasticum.* — Dicitur notanter præsertim beneficium ecclesiasticum, quia simoniace accepta pro vel propter hoc tem-

poralia, esse obnoxia restitutioni ex justitia, consequenter ex jure divino, specialis habetur certitudo ob damnatam ab Alexandro VII opinionem contrariam allegatam supra n. 292.

Limitatur tamen conclusio in simoniace acceptis pro ingressu in religionem, juxta dicta n. 298.

326. *Nisi quis hujusmodi simoniace accepta jam præscripserit.* — Resp. II. Præscriptio legitima excusat a restitutione simoniace acceptorum; consequenter, qui simoniace accepit temporale pro spirituali bona fide putans, id esse licitum, vel sciens quidem, id illicitum et simoniacum, ignorans tamen invincibiliter, hoc etiam contra justitiam, et consequenter ita acceptum tanquam rem alienam restitutioni esse obnoxium, talis rem præscribit, et iacit suam, nec tenetur illam amplius restituere, sed valide ac licite retinere potest, si tempore ad præscriptionem requisito eam bona fide possidere continuat. Hæc conclusio, ejusque probatio desumitur ex generali doctrina de præscriptione, vi cuius juxta communem omnium quivis requirit dominium rei alienæ, quam vero, vel colorato titulo, bona fide, legitimo tempore possedit, prout ample dictum habetur lib. II, tit. XXVI, *de Præscript.* ergo etiam, qui simoniace pro spirituali accepit rem temporalem, eamque ut suam legitimo tempore bona fide possidere continuat, dominium illius acquirit; præsertim quia semper adest etiam titulus saltem coloratus, tacitum nempe, vel expressum pactum.

327. *Quantum temporis requiratur ad hanc præscriptionem? Remissive.* — Si quæras, quantum temporis requiratur ad præscriptionem? Resp. id patere ex dictis cit. lib. II, tit. XXVI, *de Præscript.* ubi § 6, plene declaratum, et probatum habes, quod ad præscribendas res mobiles requiratur, et sufficiat triennium cum titulo et bona fide: res immobiles vero præscribantur decennio inter præsentem, et viginti annis inter absentes.

328. *Doctrina practica de præscriptione simoniace acceptorum temporalium.* — Infertur eos, qui vel simoniam, vel obligationem restituendi simoniace accepta ignorantes pro spiritualibus accipiunt bona aliqua mobilia, et bona fide per triennium retinent, ad restitutionem illorum non amplius teneri: eos vero, qui vel ab initio, sciunt, vel intra triennium legendo, vel audiendo sufficientem notitiam acquirunt temporalia pro spi-

ritualibus juste accipere non posse, et accepta restitutioni obnoxia esse, ea jure divino et naturali restituere debere, quantumvis postea longo tempore ea possideant.

329. *Qui beneficium ecclesiasticum ab aliis ipso ignorante simoniace procuratum per triennium bona fide possedit, non tenetur amplius illud restituere.* — Resp. III. Qui beneficium ecclesiasticum ab aliis, ipso ignorante, simoniace procuratum, bona fide per triennium possidet, non tenetur illud, vel fructus inde perceptos restituere. Patet conclusio ex dictis n. 278, et seq.

330. *Bene vero, si intra triennium id rescit.* — Resp. IV. Qui intra triennium rescit beneficium, quod habet, ab aliis, ipso ignorante, simoniace procuratum et collatum fuisse, tenetur illud illico restituere: fructus tamen interea bona fide perceptos retinere potest. Constat conclusio ex dictis supra n. 274, et seq.

331. *Simoniace beneficium procurans non gaudet regula de triennali, sed tenetur illud una cum fructibus restituere.* — Resp. V. Quicumque beneficium simoniace scienter procurat, tenetur illud una cum fructibus ante omnem iudicis sententiam restituere. Hæc quoque conclusio patet ex dictis supra n. 264 et 265, ac procedit, etsi simoniace procurans ignoraverit, beneficium ita procuratum, esse nullum, et dimissioni seu restitutioni obnoxium. Ratio est, quia juxta dicta n. 321, ignorantia pœnarum simoniæ (inter quas etiam est nullitas collationis beneficii per dicta n. 264) non excusat ab illis, si quis ipsius culpæ simoniacæ reus est.

332. *Illis exceptis, quos præscripsit.* — Circa fructus tamen illud advertendum, quod, qui beneficium simoniace procuravit quidem, ignoraverit tamen collationem beneficii simoniace factam, esse irritam, et beneficium dimittendum, fructus illos, quos bona fide interea percepit, et per triennium possedit, restituere non amplius teneatur; quia, cum in tali casu fructus tanquam quid mobile cum titulo saltem colorato, et bona fide possederit, suffragatur ei præscriptio per dicta.

§ XIV.

DE DISPENSATIONE IN PœNIS SIMONIÆ; ET ABSOLUTIONE A CENSURIS OB EAM INCURSIS; UBI ETIAM DE JUDICE SIMONIÆ, ET TESTIBUS CONTRA EAM.

333. *Ab excommunicatione ob simoniam in-*

curta solus Papa potest absolvere. — Quæritur I. Quinam possint absolvere ab excommunicatione, et dispensare in pœnis ob simoniam incursis? Resp. I. Ab excommunicatione, quam incurrunt committentes simoniam in ingressu in religionem, vel beneficio ecclesiastico, solus Papa absolvere potest. Omnes. Ratio est, quia Papa illam sibi specialiter reservavit, Extravag. 1 et 2, h. t.

334. *Et mendicantes vi privilegii, si incurritur hæc pœna ob simoniam in beneficio, vel religionis ingressu.* — Ex privilegio tamen, quo mendicantes absolvere possunt a casibus Papæ reservatis, etiam ab ista excommunicatione absolvere valent; dummodo non sit publica, et ad forum contentiosum deducta. Palao, *de Simonia*, punct. fin. n. 2; Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. LXI, n. 4.

335. *In pœnis ob simoniam in collatione, vel susceptione ordinum commissam etiam occultam, nullus præter Papam dispensare potest.* — Resp. II. Nullus præter Papam absolvere potest ab excommunicatione, suspensione, interdicto, vel aliis pœnis, quæ ob simoniam in susceptione, et collatione ordinum committitur, etiamsi simonia sit occulta. Ratio est, quia præterquam quod dispensatio in his pœnis de jure expressa sit reservata Summo Pontifici c. penult. h. t. can. *Erga*, 110, cau. 1, q. 1; Sixtus V, in Bulla *Santum et salutare*, quæ est 91, inter constitutiones dicti Papæ in *Bullario Cherub.* Dispensationem etiam in collatione, susceptione ordinum commissam, soli Sedi Papali reservavit, cum expressa derogatione omnium privilegiorum, ac etiam concil. Trident. sess. 24, *de Reformat.* cap. vi, vi cuius alias episcopi possunt in omnibus suspensionibus, et interdictis occultis (excepto proveniente ex homicidio voluntario) dispensare, et ab omnibus casibus occultis absolvere. Et quamvis Clemens VIII, reduxerit hanc Bullam ad terminos juris communis, tamen in iis, quæ Sixtus V, statuit contra simoniacos, eamdem confirmavit. Putat autem Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 24, n. 134. Hanc Bullam circa hoc non esse ubique usu receptam. (ADNOTATIO XII.)

336. *Si beneficium simplex simoniace fuit obtentum, beneficiario ignorante, potest episcopus dispensare, quod illud retineri valeat.* — Quæritur II. An episcopus, vel alius præter Papam dispensare possit in pœna nullitatis, et inhabilitatis ad idem, vel aliud be-